

maiore parte, ad spithamas non amplius duas. Qua mensura, et Aegæum sua incrementa capit, et Ionum, et Creticum, et Cyprium, et Syriacum, et Aegyptium, et Africum, ad Gerbas, usque et Portum Farinæ. Sed a monte pulcro, (Nauticis utimur nominibus et quia notiora, et quia vetera obsoleverunt) usque ad Herculeum fretrum, ad duos, et amplius pedes crescit. Extra fretrum vero hoc, unus idemque Oceanus, per Lusitana littora, per Cantabrica, perque Gallica ad 15 usque pedes inflatur. Per Belgica, et Britannica ad pedes usque 18. In finibus Bristolii illinc ad 60 hic S. Michælis ad 90. Per littora vero Atlantica, et Aethiopica usque ad Manicongum, non altius fit quam in Adriatico. Ad insulas vero Maderæ, Canarias, S. Thom. ad Venetam ascendit altitudinem. In orbis vero novi, citeriore ripa, a florida, et sinu Mexicano, et Pariana, et Brasiliana ora, per leucas plusquam tres mille, ad Magellanicum usque frettum quod et diximus iam, ad duos circiter palmos crescit. In ulteriore vero ad Panamam, et totis Maris Australis littoribus ingentes attollit fluxus, quod et in Cambaico, et Indico, et Taprobanico fieri diximus maribus. Hæc probatio quinta. Si Luna marinorum dux esset aquarum, et Mediterraneum, et Oceanum, suo per ventos cursu, eodem, moveret utrumque affluxu atque refluxu, in ventis iisdem. At id non facit. Mediterraneum namque ubi æstuat, in Adriatico, Ionico, Siculo, et cæteris, æstus ad terram affluit quando Luna est in Sirocco, et in Mæstro. Refluit vero quando ea est in Græco atque Garbino. Et contra Oceanus turget quando Luna in Græco est, atque Garbino, deturget vero, quando eadem per Siroccum decurrit, atque Mæstrum. Confirmatio sexta. Si Luna marinorum dux esset aquarum, omnibus in locis, iisdem horis fluxus cieretur, aliis iisdem cieretur refluxus. At vidimus ex Sagri relatione, eadem a medinoccio hora cum dimidia, et tertia hora, loca littorum inter se 15 et 10 gradibus distantia affluxu inundari. Intermediis vero horum graduum locis, semper horas cognovimus variare. Septima methodus. Si Luna marinorum dux esset aquarum, eadem aquæ superficies, eadem a Luna duceretur hora. At observationibus nautarum constat ad littora Normandicia, et Picardicia, Caletum usque affluxum accedere hora a medinoccio nona. Decima vero a littore millario, non plena hora. Vigesimo vero, et sexto inde millario, in medio scilicet canali, et sub eodem meridiano, hora 22 Methodus probatinum octava. Si Luna, marinorum dux esset aquarum, affluxus eodem tempore, æqualibusque horis cresceret, æqualibet decresceret. At Venetiis, aliquando septenis, atque octonis accedit; plerumque senis, totidemque recedit. Circa Senegæ fluminis oram in Atlantico quaternis in littora influit, octonis defluit. Idem circa Garunnæ ostia septenis accedit, quinis recedit authore Scaligero. Nona confirmationis methodus. Si Luna marinorum dux esset aquarum, lumine suo, eas duceret, traheret, aveheret. Lumine enim eas contingit, et actio ois fit per contactum. Lumine suo tantum ea maria in æstum, de quo loquimur, concitaret tum, cum ea lumine tangeret. At in medinoccio, cum maxime a maribus nostris lumen eius est avversum, maria non minus æstuant, quam si id eis sit præsens. Et a medinoccio, ante ortum, quando nondum ea suo ferit lumine æstuant aquæ, ac postquam ea ferire coepit. Idem lumen, dum hæc nostra collustrat, Antipodium maria, quæ nondum collustrat, in æstum excitantur, non minus quam si eis præsens esset. Methodus decima. Si Luna marinorum dux esset aquarum, eodem lumine præsente, eodem actore agente, unum eundemque produceret effectum. At contrarios duos producit. In ascensu ad meridianum, affluxum attolit, paululum a meridiano digressa, defluxum ciet, et depressionem efficit. Methodus confit mandi undecima. Si Luna, marinorum dux esset aquarum, et lumine eas duceret, quando ea non lucet, nec lumen emittit, non eas duceret. Contrariae enim causæ, contrarios producunt effectus. At iidem effectus affluxus, et refluxus, in Lunæ coniunctione, quando maria nullum eius aspiciunt lumen, efficiuntur, ac in plenilunio, quando plenissimo eam spectant lumine. Utroque enim tempore maria in rumorem maximum citatissime feruntur. Duo decima probandi methodus. Si Luna, marinorum amor esset aquarum, lumine, veluti semine suo, maria uterum gestarent, quando eam vel cornuta, vel dimidia, vel fere tota luceret facie. At tunc minus maribus, et Oceano, turget venter, quam cum ab eis tota auversa, cum Sole solo, suos exercet amores. Addamus